

80

Sapientius prodiit haec Inscriptio, at parum diligenter excepta. Primus, ut puto, vulgavit Gabriel Simeonius *Illustr. degli Epiraf. Ant.* p. 67. Inde sumpsit Gruterus, novaque de suo menda adjecit pag. CCCXXII. n. 8. Cluverius, qui consequutus est, quaedam emendavit, quaedam corrupit *Ital. Antiq.* p. 621. Fabrettus *Inscr. Dom. Cap. IX.* p. 597. Cluverii quidem correctionem suscepit, at lapidem vix inspexisse videtur; in quatuordecim enim lineas Inscriptioem describit, quum tresdecim tantum tuum exemplar exhibeat; ea, in quibus ab Inscriptioe Fabrettum aberrare deprehendi, suis locis adnotabo. Demum Cardinalis Norisus *Cenot. Pisan.* p. 73. eandem pro re nata laudavit. Nemo tamen integram explicationem vulgavit, aut plurimas, quae occurrunt, difficultates soluit, quod ego singillatim praestabo.

ABEINAE. Fabrettus l. l. edidit ABEIENAE; hinc gentem Abejenam illarum gentium censui annumerat, quae in Gruteri *Tbesauro* desunt. Simeonius vulgaverat ABEINAE; ac ego quidem profus ignoro, quonam ex inemendato exemplari hauserit Gruterus ALBIAE.

FLAMINICAE PISAVRI ET ARIMINI. In eas hic delabi incipimus difficultates, quas mihi enodandas proposui. Horum sequentiumque verborum naturalis sensus est, Abeinam Flaminicam fuisse Pisauri, & Arimini: Patronam vero municipii Pitinatium Pisurensum. Quidam autem sine exemplo esse volentes, eandem feminam duplici sacerdotio functam fuisse, id sibi sumunt, Abeinae Balbinae munera ita distinguenda esse: Flaminicae Pisauri: & Arimini Patronae: Municipii Pitinatium Pisurensum: adeo ut de illorum sententia Abeina Flaminica fuit Pisauri, Patrona Arimini, Cirvis vero municipii Pitinatium Pisurensum: Id si verum esset, singularis profecto existimanda esset hujus Inscriptioe syntaxis; postquam enim insculptum fuerat FLAMINICAE PISAVRI, dici statim debuit PATRONAE ARIMINI, conjunctio vero ET non inter primum & secundum periodi membrum, sed ante ultimum collocari, atque ita legi: FLAMINICAE PISAVRI, ARIMINI PATRONAE, ET MUNICIPII PITINATIVM PISAVRENSIVM; alioqui confusa minime potest evitari.

Ac, ut omni ex parte hac sententia corruat, sat erit ostendere, falsis illam dumtaxat niti fundamentis. Enimvero sine exemplo non est, eandem feminam duabus in Coloniae Flaminicam fuisse; Ariminum, ut ne longius abeam, eadem illa Urbs, cujus Flaminica fuit Abeina, praeclearum nobis suppeditat exemplum in *Grut.* p. CCCXXII. 2. & iter. MLXXXVIIII. 15.

CAN-